



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1650**

§. 2. Dicta sacra, & è sacris prompta de operum talione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

*fecisti: nam Marius, ante imperium, faber ferrarius fuerat, & eius militis operâ in fabrilis officina usus.*

§. II.

*Dicta sacra, & è sacris prompta de operum talione.*

Similes loquendi modos è diuinis litteris <sup>Supra</sup> <sup>cap. 45.</sup> <sup>Isa. 33. 3.</sup> <sup>Baronius</sup> <sup>An. 262.</sup> <sup>scabel-</sup>  
*suprà enumerauimus, quibus hîc addenda sunt illa: Væ qui prædatis, nonnè & ipse prædaberis? væ qui spernis, nonnè & ipse sperneris? Væ tibi Sennacherib, qui depopularis Iudæam, nam vicissim præda eris Iudæis; væ tibi, qui victorijs insolens spernis & Iudæos, & Deum Iudæorum, nam & ipsi spernent & contemnent te, cùm tua castra per Angelum subito cædentur. Quod & alijs postea Ecclesiæ hostibus ac tyrannis contigit. Nam Nero, qui Petrum & Paulum spreuit, qui primus persecutionem mouit in Christianos, spretus est & ipse à Senatu populoque Romano, in necem illius conspirante, eumque ad mortem manu sibi sua consciscendam adigente. Domitianus, qui Christianos occidit, occisus est & ipse à suis. Valerianus, qui Christianos supplantauit, supplantatus est & ipse à rege Persarum, à quo captus ei equum ascensuro dorsum, quasi*

Matth.  
26. 52.

scabellum, præbuit. Ad eundem modum locutus est Christus, quando dixit: *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Omnes, qui bellorum ac seditionum auctores fuerint, in eo ipso bello, quod excitauerint, extinguentur, vt Origenes interpretatur; aut vt Hieronymus & Beda, gladio peribunt, non corporali, sed spirituali, id est, diuina vindicta, quæ de illis, vel in hac, vel in altera vita poenas sumet. Quamuis Christus eo loco non significet, necessariò omnes, qui gladium acceperint, gladio perituros esse (cùm multi gladio non pereant) sed tantùm legem alleget, quæ iubebat ho-

Gen. 9. 6.

mucidam occidi. Est autem lex illa: *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Itaque non dicit, quàm pe-

S. Augustin. lib. 99. veteris & noui Testam. cap. 104.

nam necessariò subituri sint, sed vt D. Augustinus aduertit, quàm mereantur. Christus igitur tunc Petrum reprehendens generalem citauit legem, quia vbiicumque exceptio locum non habet, lex locum habet: non habebat autem locum exceptio in Petro, qui bono quidem animo, sed quo loco & quo tempore non debuit, gladium accepit. Quid enim vnus homo contra cohortem

tem integram effecisset? an non potius milites irritasset, vt Christum tantò crudeliùs tractarent? quemadmodum videmus hostem vrbe capta truculentiùs sauire in armatos ac se se defendere paratos. Ita quidem hic locus est intelligendus.

§. III.

*Factorum talio exemplis sacris demonstrata.*

Interim diuina Nemesis fit, vt sæpe etiam eodem modo hominibus noceatur, quo ipsi nocere voluerunt, vt *qui fodit foueam, incidat in eam, & qui in altum mittit lapidem, super caput eius cadat.* Dixi, exempla esse sacra, & profana. E sacris adduxi suprà quædam de Achitophel, qui suo consilio periit; de duobus falsis testibus, qui lapides, quos in Susannam innocentem iactare voluerunt, suo capite excipere coacti sunt. His adde Pharaonem, qui *præcepit omni populo dicens: Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen proycite.* Ita filios Israël voluit extinguere, quibus obstetrices pepercerunt. Quid illi contigit? *Factum est in noctis medio, percussit Dominus omne primogenitum in Terra Egypti, à primogenito Pharaonis, qui in solio eius sedebat, vsq; ad primogenitum captiua, qua erat in carcere, & omne primogenitum*

Eccles. 10.

8.

Eccl. 27.

28.

Exod. 1.

22.

Exod. 12.

29.